

Universitätsbibliothek Wuppertal

Q. Horatius Flaccus

Horatius Flaccus, Quintus


Amstelaedami, 1728

Widmungsbrief an Ferdinand van Collen

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-830](#)



Ad. van der Laan Inv. et Fecit.

AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO VIRO
FERDINANDO VAN COLLEN JUNIORI JC^{TO}.
COLLEGIO JUDICUM AMSTELÆDAMENSIMUM
NUPER PRÆSIDI, ET SOCIETATIS INDIAE
OCCIDENTALIS GUBERNATORI,

S. P. D.

R. ET J. WETSTENII ET G. SMITH.

Ta profecto est, VIR AMPLISSIME, multum Tibi
virtutibusque Tuis eximiis & nos debere fatemur ultiro,
& civitatem totam non minus quam nos Tibi esse devinctam,
† propter

D E D I C A T I O.

propter ingentia tua merita, noverunt omnes, qui virtutes Tuas eximias noverunt. Qua enim fide, qua constantia, qua sanctitate, rempublicam gesseris, collegio Judicum in hac urbe praepositus, testes sunt omnes, qui alias eo tempore, nomine quocunque apud augustum istud tribunal convenerunt, idque uno ore illi prædicare solent. Præstitisti certè Te tantarum rerum ponderi parem; & quamvis undique ingenti magnorum & variorum negotiorum, ad fortunas aut existimationem aliorum pertinentium, agmine cingereris, atque saepe cupidè instantium sollicitis vocibus aliquid esset dandum, nunquam tamen aut negotiorum multitudine obrui te passus es, aut pro nocentibus deprecantium vocibus à veri & recti tramite devocari. Rectus iste & erectus animus, quibusvis negotiis & rebus summis par, nunquam Te reliquit. Patris hoc sanè habes, **VIR AMPLISSIME**, quem aevi istius veteris saeculique prioris exemplum omnes probi amant atque mirantur, satis amare aut mirari pro meritis nemo potest, quodque in civibus benevolentiae summæ testimonium est, nemo non gaudet ex toto isto maximæ civitatis numero civium, fasces istos Consulares, jam dudum ejus præclaris atque radiantibus virtutibus debitos, hoc tempore potissimum esse traditos, quo summa respublica agitur, atque optimus quisque per consilia fortissima pacem quaerit firmam atque stabilem. Quanti animi id fuisse dicemus, quod in Senatu cum ageretur de rebus maximis oratione gravissima senex prudenterissimus non tantum suaferit, quod tunc videbatur utilissimum, sed & de facultatibus suis tantum sese daturum promiserit difficulti reip. tempore, quantum ne poscere quidem quisquam a civi optimo fuisse ausus. Illo igitur, **VIR AMPLISSIME**, Patre cum natus sis, atque domestico illius exemplo ad veram virtutem excitatus, haud mirum est, pectus Tuum istis virtutibus esse
orna-

D E D I C A T I O.

ornatum, in quibus sola est atque unica nobilitas. Quamvis enim jure quodam Tuō possis gloriari de generis vera nobilitate, eam tamen non esse sitam in fumosis majorum imaginibus, nec quemquam in gloriam aliorum vixisse, sed virtutem solam verè nobilem facere, rectè & sapienter existimas. Illâ igitur semitâ ad summa quaeque grassaris; quamquam quæ possunt esse majora, quam quæ & jam dudum præstisti, & adhuc præstas, si in jus suum cuique tribuendo, ut revera est, dicendum sit, totius civitatis esse firmamentum certissimum, atque præsidium bonorum summum? Debent igitur omnes Tuis istis virtutibus atque præstantissimæ menti; nos vero, tam quòd unâ cum aliis publicè, quam quòd privatim multis beneficiis Tuis devincti sumus, quum multa nomini Tuō debeamus, istius rei aliquod testimonium publicum extare voluimus, & propterea H O R A T I U M , Lyricorum poetarum principem, Tibi nunc inscripsimus. Scilicet quum solvendo non simus, damus tamen id operam, ut debitum nostrum apud omnes sit testatissimum, utque ita saltem nomina videamur bona, qui cum dispungere debitum non possimus, non vereamur tamen illud agnoscere, ne videamur tacendo id velle inficiari. H O R A T I U M igitur, V I R A M P L I S S I M E , Tibi mittimus, scriptorem naris emunctæ atque prudentia singulari, emendatum atque illustratum a Richardo Bentleio, critico omnium consensu hoc tempore summo, nostris autem sumptibus hîc denuo luci expositum. Indignus sane Horatius, quem sua ætate Mæcenas atque ipse Augustus summa benevolentia prosecuti sunt, Tuō nomine videri non debet, tum propter incredibilem suavitatem & elegantiam carminum, tum quia ille *quid sit utile, quid non*, Planius & melius Chrysippo aut Crantore dicit. Quamvis ergo eo præceptore non egeas, neque illo auctore Tibi ad vitam instituendam

D E D I C A T I O.

opus sit, non exigua tamen voluptas ex eo solet percipi, si viri egregii, in quorum numero sane & Tu es, intelligent jam istis temporibus, à nostra ætate atque disciplina adeo remotis, eadem vitia atque easdem virtutes fuisse, neque aliam prudenteribus mentem, atque illi nunc sibi esse sentiunt. Id & Tu, VIR AMPLISSIME, sine dubio per Te agnoscis ipse, nec opus est, ut nos sapientiam Horatianam apud Te valde prædicemus, quoniam illa tantum est summa voluntatis nostræ, ut ne dedigneris auctorem hunc accipere eo animo, quo à nobis Tibi offertur, id est tanquam tessera atque testem certissimum animorum haud paucis nominibus Virtuti Tuæ devinctorum. Votorum autem hæc est summa, ut Deus ille O. M. Te, Parentem, Fratrem, Liberos, totam denique familiam Tuam, quam diutissimè servet huic reipublicae incolumes. Vale.